

ECHO.



Sicut hæc duo verba : *detur pulcherrima,*

oculam totum concusserunt, Dearumq; iras acuerunt in tumultum, Jove ipso judicis munus, & futuram invidiam transferente in Paridem, ita unicum verbum gravissimis credibus orbem terrarum commisit, nam Alexander, qui vivus Martem semper spiraverat, etiam expiraturus unico verbo classicum cecinit, interrogatus enim quem tanti Imperij faceret heredem? reposuit : *Dignissimus*, qua voce dum quisque ducem sibi blanditur atrocissimo bello inter se commissi sunt omnes tanto fortunæ ludibrio, ut dum concessâ ad breve tempus victoriâ modo uni, modo alteri arripit, omnes præcipitaverit in ruinam. Duo autem in hoc magni Macedonis testamento mirari licet, generosum scilicet Alexandri animum, quo virtutem prætulit sanguini, & ducum temeritatem, quæ ex ambitiosis pectoribus adeo deleverat præteritorum Regum, ipsiusq; morituri Imperatoris reverentiam, ut vivente Hercule Alexandri filio, ac prægnante Roxana uxore peterent heredem designari, & ambiguum vocem in suum favorem detorquerent, quasi natum sibi Principem, seq; subditos esse non meminissent. Eadem regnandi libidine accensus Tökellus vivente Rege ambire præsumpsit Hungariæ coronam, sed si se subditum obliviscatur, recordari saltem debuerat candentis coronæ Georgio Siculo impositæ ob rebellionem contra Hungariæ Regem excisatam, ac eventus refractarijs destinatos metiri, sed fatua prævidere non poterat, quia oculos occupaverat optatæ splendor purpuræ, quæ tamen juxta Cassiodorum aliud non est, quam *obscuritas rubens & nigredo sanguinea*, unde vel ex ips coloribus præfigere poterat merorem, stragem, & infelicem exorbitantis audaciæ exitum, atrata enim Thesi vela aliud sollicito parenti non insinuabant, quàm merorem & lachum, & Tamberlanes secundo oppugnationis

die rubentibus vexillis minabatur cruentas urbi cedes : nec ab eventu aberrasset hoc triste præfagium, cum rebellium plurimi multiplici strage consumpti temeritatem cum vita exuerint, & Tökelius aliud ambitionis præmium non tulerit, quam gravissimum ob repulsum mororem, quo sicut Echo Nympha animo deficiente marcessit, ea enim cum Narcissi duriciam tenerrimo amoris affectu emollire non posset, diu circumvagata ad solitudinis horrorem secessit, seq; totam adeo morori permisit, ut defluente corporis succo exaruerit, remanente sola voce, repulsa & excessivi doloris præcone, ita Tökelius repressâ ambitione (quæ aliud non est quam immoderatus dignitatis amor) cruentam passus repulsum sese ad inaccessibleia loca subdidit, ac diu circumvagatus suis rebellionem passim repudiata diffuentibus adeo lacinante dolore constabuit, ut sola vox quæ Turcas ad protrahendum bellum animat, superesse videatur. Er merito, nam cum vox sit repercussus ad arteriam aër, sola vox vivere debet, qui auram popularem unice captare intendat, & in fingendis boni publici, libertatis, religionis, ac penitentiae affectibus assumerat camaleontis naturam ex solo aère

viventis. Ita de Tökelio, à suis destituto dici pos-

test, vox, vox, præterea nihil.



SER.